



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Quid sit suspensio à beneficio simpliciter lata, & quos effectus habeat.



Voniam in beneficio duo sunt, vnum est functio aliqua spiritualis, a quam beneficium obligare solet, aliud est temporale emolumentum, ad quod suscipiendum beneficium confertur ex se perpetuum. Dubitari in primis potest, an suspensio à beneficio impediat vtrumque, vel alterum tantum. Et ratio dubitandi esse potest, quia ex illis duobus primum pertinet ad Ecclesiasticum officium: ergo, si hæc suspensio vtrumque impedit: habebit hæc censura effectum vtriusque suspensionis, nempe illi conuenire definitionem suspensionis superius datam: quia non impedit aliquam Ecclesiasticam functionem, nam percipere fructus beneficii non est functio Ecclesiastica, sed stipendium illius.

Nihilominus dicendum est, effectum huius suspensionis solum esse impedire dominum, seu possessorum beneficii, ne vi possit iure illo percipiendi fructus Ecclesiasticos, quod habet ratione officij & in quo ratio beneficii consistit. Hoc patet in primis ex communi sententia omnium, quos referemus. Deinde ex proprietate verborum iuxta vsum canonum, ad quam proprietatem verba hæc restringenda sunt, & limitanda, cum sit materia odiosa & poenalis. Nam in iure beneficium contra officium distinguitur, quod patet maxime ex omnibus illis, quæ de hac censura loquuntur, & supra citata sunt: hæc enim de causa distincte proponunt suspensionem ab officio, & à beneficio & ab vtroque simul. Nec solum hæc duo generatim sumpta, sed etiam prout coniunguntur in præbenda Ecclesiastica, quæ & aliquod ministerium habet, & prout distincte coniunguntur, ut patet ex cap. finali de Rescript. in 6. vbi beneficium Ecclesiasticum propter officium dari dicitur, non ut propter aliud extrinsecum vel accidenarium, sed ad quod ipsa præbenda obligat: ergo ex his duobus, quæ in præbenda coniunguntur, beneficium proprie non est, nisi ius ipsum percipiendi fructus, quod ex officio nascitur, seu propter officium collatum est. Vnde Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. de Reform. beneficia ad diuinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda, dicit, esse constituta: vbi etiam distinguit beneficia ab Ecclesiasticis muneribus, quæ nomine officij significari solent. Igitur, cum à beneficio quispiam suspendi dicitur, in ea proprietate beneficij sumendum est: ergo effectus huius suspensionis erit impedire hoc ius percipiendi fructus, ne in actum suum prodire possit. Probatur consequentia, nam per illam determinationem, à beneficio, ad ipsum suspensio limitatur, sicut dictum est de suspensione ab officio. Rursus hæc suspensio non tollit beneficium ipsum, ut receptum est, & supra à nobis probatum. Vnde sic suspensio à beneficio, si nimium pertinax sit, vel noua crimina committat, solet beneficio priuari, cap. Cupientes, §. Ceterum, de Electione in 6. & in ca. Sicut, de Cohabit. cleric. & mulierum, vbi contra Innocentium id notat Abbas numero 4. ergo signum manifestum est per suspensionem solum non fuisse sublatum ipsum beneficium. Superest ergo, ut suspensio à beneficio impediat solum ius beneficii, ne quis possit eo uti ad fructus recipiendos, ita ut nihil aliud sit à beneficio suspendi, quam fructus beneficii

A suos non facere. Atque ita docent Canon iste in citatis iuribus, & in c. Cum bona, de Etate & qualitat. vbi Abbas num. 6.

Suspensionem à beneficio officij vsum non impedire.

Atque hinc sequitur primo, suspensionem à beneficio præcise siue addatur dictio exclusiua, Tantum, siue solum taceatur officium & omnis actus eius, non operari suspensionem ab officio, nec impedire aliquem actum eius, imo (quod amplius est) non tollere obligationem, quæ antea inerat, tale officium exercendi. Priorem partem docuit Glossa in cap. Cum Vintoniensis, de Electione, verb. Admiserant, & Glossa in cap. Cupientes, eodem titulo in 6. ver. Beneficiu, quibus locis alij Doctores idem sentiunt. Et probatur ex dictis, quia nomine beneficii in rigore non significatur officium; sed in lege, seu sententia poenali nomen in rigore tantum sumendum est: ergo. Item quando suspensio ad beneficium determinatur, & taceret officium, consequenter excluditur, quia censura non operatur, nisi quantum exprimitur, ut in superioribus dictum est; & omnia ibi adducta hic à fortiori procedunt. Ad rationem vero dubitandi, nimirum huic suspensioni non conuenire definitionem suspensionis superius datam, quia non priuat Ecclesiasticis functionibus dicendum est, functionem Ecclesiasticam in ea definitione late sumi pro vfu cuiuscunque iuris Ecclesiastici, ut in ipsa definitione declaratum est: hæc autem suspensio re vera impedit vsum iuris beneficii, quod potestas quædam Ecclesiastica dici potest.

Posterior pars nonnullam habet maiorem difficultatem, quia, cum beneficium detur propter officium, nemo videtur ad officium obligari, nisi qui beneficio fruitur: si ergo aliquis per suspensionem priuatur stipendio, seu fructibus beneficii, non potest manere ad officium explendum obligatus: licet, si beneficium aliquod Ecclesiasticum erigatur cum onere quotidie, verbi gratia, faciendi sacram, & successu temporis res, in quibus fundatum est, pereant, vel infructuosæ reddantur, ita ut cessent fructus beneficii, consequenter etiam cessabit obligatio ad Missas dicendas: ergo similiter in presenti. Nihilominus partem illam etiam docent Glossæ, & Doctores citati; estque per se valde consentanea rationi: quia per suspensionem non aufertur beneficium, ut dictum est, sed tantum fructus beneficii: ergo, si beneficium secum affert obligationem aliquam officij, suspensio non tollit illa. Patet consequentia, quia illa obligatio intrinsece coniuncta est cum beneficio ipso, quod de se confert sufficiens stipendium, seu sustentationem ratione talis muneris seu obligationis: quod autem suspensus non percipiat tales fructus, culpa eius est, nam hoc in poenam ei imponitur: ergo propterea non debet immunis fieri ab obligatione. Patet consequentia, tum quia (si ita loqui licet) ex parte beneficii, seu fidelium iam sufficiens stipendium accepit, tum etiam, quia ex culpa non debet reportare hoc commodum, ut obligatione liberetur in eorum incommodum, qui officiis seu actibus illius obligationis prouiderunt: tum etiam, quia censura imponit onus, non tollit, alioqui leuis poena esset, si tollendo commodum, tolleretur etiam onus: ratio ergo huius poenæ in hoc posita est, quod tollat præcise emblemata temporale, relinquendo integram muneris obligationem.

Ac propterea non procedit ratio in contrarium facta, quia, licet detur beneficium propter officium, tamen in poenam potest quis priuari emolumento beneficii, & quia non priuatur titulo beneficii, relinquere cum obligatione ipsi beneficio annexa. Sicut enim, postquam aliquis expleta obligatione beneficii

Glossa

Rationi dubitandi in contrarium satisfit.

Suspensus à beneficio non tollit obligationem officij.

Rationi in contrarium satisfit.

hij fecit fructus suos, potest nihilominus in pœnam illis priuari, licet propter officium illos acceperit, ita etiam potest quasi pœniri, ne fructus recipiat, & nihilominus officium faciat. Et ideo non est simile, quod assertur, quando absque impositione pœnæ res beneficij infructuosæ sunt, ut per se notum est. Dices, Ergo est acerbior pœna suspensio à beneficio tantum, quam ab officio, & beneficio simul: quia per priorem aufertur commodum manente onere: per posteriorem vero aufertur onus simul cum commodo. Respondetur, quamvis obligatio ad faciendum officium sit onus, tamen facultas expedita, & libera ad illud exercendum non est onus, sed honor, qui magnus existimatur: per suspensionem autem ab officio non obligatio tantum, sed facultas etiam aufertur eo modo, quo per Ecclesiam auferri potest: & ideo ex eo capite multum augetur illa pœna. Nec vero etiam per illam suspensionem liberatur quis omnino ab obligatione, quæ ratione sui beneficii sibi antea inerat, quamdiu idem beneficium retinet, præsertim si curatum sit, vel ad tale munus obligans, quod per alium impleri possit, nam præterquam quod teneretur ad officium canonicum recitandum, ut supra dixi, etiam teneretur curare, ut saltem per alium illud munus expleatur, & de fructibus beneficii ei provideatur, nisi superior, seu Episcopus id sufficienter provideat, ut regulariter sit in suspensionibus ab ipso latis. In suspensionibus vero, quæ ipso iure incurruntur, sæpe erit necessaria ipsiusmet beneficiati cura, seu sollicitudo; & ad hanc dicimus teneri ratione beneficii, quod retinet, quia non debet ob eius culpam Ecclesia detrimentum pati.

Obiectio.

Solutio.

Num possit
suspensio à
beneficio ali-
am subfine-
re in officio
qui de fructu
eius beneficii
alatur.

Sed quæret aliquis, an is, qui est suspensus à beneficio, satis faciat suo muneri, si alius loco illius substituitur, qui de fructibus beneficii alatur. Respondetur, si id fiat auctoritate superioris, seu Episcopi, posse excusari, ut sumitur ex dicta Glossa, verb. Beneficij, in cap. Cupientes, de Elect. in 6. ipse tamen superior sine rationabili causa id facere non debet, præsertim quando beneficium habet curam animarum annexam, argumento cap. Inter quatuor, de Cleric. non resid. Nam cum alius teneatur, non est cur sine iusta causa, & ipse eo onere liberetur, commodum quodammodo ex sua culpa reportans; & Ecclesia suo proprio pastore & ministro priuetur: igitur, si rationabilis causa non intercedat ipse compelli debet, ut personaliter inferuiat, etiam sub pœna privationis beneficii, si necessarium sit argumento cap. Peruenit, f. de Apellat. An vero in substitutionem possit ei dari aliquid de fructibus beneficii, saltem ea pars, quæ alteri danda esset, si loco ipsius substitueretur, dicemus in sequentibus.

Ad quid teneatur, quamve pœnam incurrat a-
gens contra suspensionem à be-
neficio.

Secundo principaliter sequitur ex dictis, ex genere suo graviter peccare eum, qui, cum suspensus à beneficio sit, fructus beneficii usurpat, & teneri ad restituendum illos absque alia iudicis sententia. Hoc totum patet ex dictis in simili effectu excommunicationis maioris: nam idem est in re effectus, quamvis diversæ sint rationes formales. Quapropter omnia, quæ ibi diximus, hic habent locum, scilicet & peccare hunc, quia usurpat aliena; quod est contra iustitiam, & ideo grave esse peccatum ex suo genere, ac propterea obligans etiā ad restitutionem, quia nemo potest iuste retinere, quod suum non est, nisi per accedens excusetur ob impotentiam, vel aliam gravem causam ex ibi numeratis. Quia hæc pœna non spoliatur hominem rebus suis, quarum dominium iam acquiritur; quod fieri non solet absque

sententia ab homine lata; sed impedit ne fructum dominium acquirat; quod ipso iure absque interveni alterius sententiæ fieri solet. Quo etiam fit, ut, licet suspensio sit occulta, eandem obligationem inducat. Quia censura hæc, sicut excommunicatio, secum affert executionem, quantum ad impediendum acquisitionem dominij: ex quo effectu omnis alia obligatio nascitur. Neque in hoc aliquid remissum est per Extravagantem Ad eundem, tum quia ibi solum de excommunicatione agitur, non de fructuum perceptione: tum etiam, quia ei, qui censura ligatus est, nullum beneficium vel privilegium per illam est concessum.

Sed quæres, an, qui violat hanc censuram, usurpando huiusmodi fructibus, in aliquam, vel censuram, vel aliam ecclesiasticam pœnam incidat. Respondetur, in primis hunc non heri irregularem; quod etiam supra diximus tractando de excommunicatione; & est hic eadem ratio, quia in iure non legimus irregularem latam in violatorem censuræ, nisi propter ministerium in divinis, à quo per censuram interdictus est: irregularitas autem, nisi in iure sit expressa non incurritur. Propter quod etiam supra diximus exercendo actum solius iurisdictionis contra suspensionem, non incurriri irregularem: ergo multo minus incurreretur propter fructus beneficii male usurpatos: nam minus hoc habet de Ecclesiastico ministerio. Et ita docuit Glossa recepta in Clement. 2. verb. *Suspensus*, de Vita & honestate cleric. Rursus neque aliam censuram vel pœnam inuenio iure ipso latam propter hoc delictum: quapropter nulla incurritur ipso facto. Aliquando vero imponitur in pœnam huius delicti privatio perpetua ipsorum beneficiorum, ut videtur licet in ca. 1. §. ult. & in c. Cupientes, verb. *Ceterum*, de Elect. in 6. Existimo tamen in primis illam pœnam, eo quod ibi, vel alibi imponatur, non esse extendendam ad omnem suspensionem: quia ibi ex speciali causa imponitur, & est quasi aggravatio pœnæ illius delicti, neque est vllum verbum, quo significetur, talem pœnam generalem esse in omnes transgressores cuiuscumque similis suspensionis. Deinde, licet ibi præsertim in posteriori textu dicatur ipso iure, existimo non incurrere illam pœnam usque ad sententiam iudicis saltem declaratoriam eriminis; quia hoc sufficit ad vim illorum verborum in his pœnis, quas, regulariter loquendo, nemo cogitur in se ipso exequi donec condemnatur, de quo alias.

Quid nomine beneficii in hac suspensione comprehendatur.

Primo tamen ulterius supersunt declaranda. Primum est, quid nomine beneficii intelligendum sit. Aliud, quid nomine fructuum. Circa primum si sic suspensus à beneficio vnum tantum habeat, clarum est de illo esse sermonem: si vero habeat plura tunc oritur ambiguitas, an de omnibus id intelligendum sit. Nam, videtur ita esse affirmandum, quia suspensio ab officio simpliciter lata intelligitur de omni officio; & ab ordine, ab omni ordine, & a iurisdictione, ab omni iurisdictione: ergo suspensio à beneficio, ab omni beneficio intelligenda est. Ratio enim militat eadem, scilicet, quo ille indefinitus terminus æquivalere universali: tum quia est materia quasi doctrinalis, seu legalis, tum propter indifferentiam, quia non posset magis determinari ad vnum, quam ad aliud: tum denique, quia ibi est negatio inclusa, quia suspensio habet rationem privationis: cum ergo dicitur aliquis suspensus à beneficio, perinde est, ac si diceretur, non possit fructus beneficii accipere: ergo illa negatio distribuit terminum Beneficii: ac si dictum esset, nullius beneficii fructus accipere possit. In contrarium vero est, quia nomen beneficium, singulariter prolatum, vnum tantum significat

significat in rigore: ita vero accipiendum est, quia materia est penalis & odiosa. Accedit quod maiorem vim habere videtur, cum dicitur in iure, quod aliquis sit suspensus à beneficio, quam cum dicitur à beneficio: ergo, quamvis in illa plurali locutione dicamus suspensionem fieri ab omnibus beneficiis, propter rationem factam, tamen in altera singulari solum videtur sermo esse de vno, vt à priori distinguatur.

Ad hoc responderi posset negando fundamentum eius, quia in iure non inuenitur talis forma suspendendi à beneficio, quin ex adiunctis constet, de quo fit sermo. Et idem seruandum est in sententiis ab homine: alioqui periculum esse potest, ne censura sit nulla, propter incertitudinem, argumento L. In ambiguo, ff. de Rebus, & L. Duo sunt Titij, ff. de Testamentaria tutela, vt in simili cum Panormitano dixit Nauarrus capit. 27. numer. 161. de hac forma, Suspende te ab officio, vel beneficio. Nihilominus in presenti id dicere non possumus, quia non est locutio tam ambigua, quin possit habere definitum, & visitatum sensum. Et ideo ex suppositione talis formæ quæ nec ex verbis, nec ex circumstantiis recipit determinationem, dico esse vniuersalem ab omni beneficio quod reus possidet. Hoc enim probatur ratio facta, quod in his rebus sermo absolutus, & indefinitus æquiualeat vniuersali. Dices, hoc esse verum in fauorabilibus, hæc enim restringenda sunt, vt sumitur ex L. ff. de Liber. & posthum. & facit reg. In penis, de Regul. iur. in 6. & reg. In obsequiis, eod. Vbi dicitur, in obsequiis minimum esse sequendum. Cui ergo hæc verba obsequia sunt, optime interpretabimur, suspensionem solum esse ab vno beneficio, scilicet minimo eorum, quæ talis persona habuerit. Respondetur hanc interpretationem videri potuisse probabilem, si illa locutio esset pure indefinita, & particularis. Quia vero virtute includit negationem, vt declarauit, licet formaliter indefinita, appareat, ideo dicimus habere vim vniuersalem etiā in materia penali. Vnde, licet locutio nude sumpta aliquantulum sit obscura, tamen attentius inspecta satis constat non posse ad minimam coarctari. Regula autem iuris intelligenda est, nisi ex adiunctis alia interpretatio sufficiens constet, vt etiā Glossa ibi animaduertit.

Addunt vero auctores, ex causa sumi posse interdum determinationem. Et quidam hoc metiuntur ex grauitate culpæ: nam, si illa sit digna privatione omnium beneficiorum, ita erit intelligenda suspensio: si vero non sit adeo grauis, erit vnus tantum: sed hæc regula in superioribus reiecta est, & præterea in presenti obstat, quia eadem ratione si beneficium sit vnum tantum, tamen valde pingue & æquiualeat multis, stante eadem grauitate culpæ, non deberet suspendere à toto illo, sed à parte eius. Item, si quis possideret tria beneficia, & culpa non conferretur sufficiens ad suspensionem omnium, & alioqui suspensio ab vno solo non videretur æquiualeat penæ; tunc suspensio ex vi eorundem verborum futura esset à duobus beneficiis, atque ita per eadem verba vnus suspenderetur ab vno beneficio alius à duobus, alius à tribus, quod ridiculum est, essetque id arbitrio ipsius rei iudicandum, nā, si iudex non declarat, non tenetur reus alterius iudicio stare: si autē declarat, cessat dubitatio, de qua agimus.

Alij constituunt regulam, vt quando causa suspensionis est de se indifferens ad quamvis Ecclesiam, & omnem clerum, tunc suspensio vniuersalis fit, quia non habet vnde determinetur: si vero causa suspensionis ad speciem Ecclesiam pertineat, tunc suspensio à beneficio intelligitur esse à beneficio, quod in tali Ecclesia quis habet, vel, si plura ibi obtineat, ab omnibus illis. Quam regulam tradidit Glossa in Clement. 2. de Vita, & honest. cleric. verb. Beneficio. Fr. Suarez tom. 5.

rum, & eandem approbat Abb. in c. Pastoralis. 6. Verum, de Appell. num. 20. Et necessario approbanda est quoad posterius membrum (primum enim iam satis probatum est) quia ipsum ius, seu Pontifex Summus voluit, vt pena in huiusmodi causa lata sic limitaretur in cap. Si compromissarius, de elect. in 6. Cui enim in Concilio Lateranensi part. 1. ca. 3. clerici qui eligunt indignum, à beneficiis per triennium suspendantur, Bonifacius 8. in dicto cap. interpretatur illam penam intelligendam esse de illis beneficiis, quæ sic peccans in illa Ecclesia obtinet, quam taliter eligendo noscitur offendisse. Vbi Glossa verbo, Restringitur, dicit necessariam fuisse in illo puncto Pontificis interpretationem, quia indefinita locutio Concilij oppositum insinuat. Et ideo Nicolaus II. volens similem penam in simili causa imponere in cap. Cupientes, verbi. Caterum, de Electione in 6. expresse addit illam restrictionem, dicens, Omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia de cuius electione agitur, obtinent, per triennium: continuam ex tunc inchoandum volumus eo ipso fore suspensos. Et simile habetur in cap. 2. verbi. & nihilominus, de reb. Eccl. non alien. in 6. Vnde dici posset, illam restrictionem additam esse à Bonifacio in illa speciali lege Concilij Lateranensi. nō tamen propterea generalem regulam constituisse, vt omnis pena in simili causa lata restricta intelligatur, etiam si absolute lata sit. Tamen probabilius est ibi esse generalem regulam constitutam, vt in similibus causis similem penam cum illa restrictione intelligamus, etiam si expresse adiecta non sit, tum quia Pontifex non solum illam legem Concilij Lateranensis, sed etiam aliam similem Concilij Lugdun. quæ habetur in cap. vlt. §. 1. de Elect. in 6. eodem modo interpretatus est: tum etiam, quia cum restrictio penæ fauorabilis sit, & à Pontifice tradatur, & satis insinuetur pro generali regula tradita, non est quod à nobis limitetur. Præsertim cum & iure visitatum sit, & rationi sit consentaneum: vt qui aliquam Ecclesiam in aliquo offendit, in his tantum, quæ ad illam Ecclesiam pertinent, puniatur, quia id satis esse solet ad condignam punitionem delicti: nisi aliud in sententia exprimat.

Et iuxta hanc regulam intelligere possumus, quoties similis ratio subintelligendi determinationem occurrerit: cum simili, etiam restrictione accipiendam esse, vt verbi gratia, si Canonicus, vel Episcopus sub eo nomine, quod beneficium significet, puniatur in suspensione sui beneficii, intelligi debet solum de illo beneficio, sub cuius appellatione condemnatus est: tum quia sæpe prædicata determinatur à subiectis, & in communi modo loquendi, illa locutio illum sensum generare solet: tum etiam, quia regulariter huiusmodi pena videtur iniungi propter iniuriam, quæ suæ dignitati infert qui sic deliquit: & ideo in illius fructibus specialiter puniri solet. Ad hunc igitur modum circumstantiæ aliæ expendendæ sunt, vt ex eis appareat, an de aliquo beneficio in particulari sit sermo: quia, si nullæ sunt, & absoluta est locutio, vniuersalem sensum reddit, vt diximus.

Vnde obiter colligo per se loquendo, nihil referre, quod suspensio fiat à beneficio in singulari, vel à beneficiis in plurali, sicut non differret in suspensione ab officio sic dicere, vel ab officiis: quam hoc sit minus visitatum, quia non est tam frequens habere plura Ecclesiastica officia, sicut plura beneficia. Ratio vero est, quia vtraque locutio æquiualeat vniuersali, nisi aliunde determinetur: sed addita distributione, perinde est dicere, ab omni beneficio, ac dicere, ab omnibus beneficiis: ergo. Verum est in locutione singulari, facilius fieri determinationem ad vnum ex materia & circumstantiis, quam si sit locutio pluralis, vt patet in exemplo posito de Episcopo, vel Canonico, qui sub huiusmodi appellatione à beneficio suspenditur: tunc enim, si in singulari

fiat, habet locum illa interpretatio: si autem fiat in plurali à beneficiis, non habebit locum, sed potius reddet solum vniuersalem, scilicet ab omnibus beneficiis, nisi aliud fiat coarctatio ad beneficia alicuius certæ Ecclesiæ iuxta regulam dicti ca. Si *compromissarius*. In cuius etiam casu & similibus parum referre videtur, quod suspensio fiat in singulari à beneficio: quia tunc etiam efficit sensum vniuersalem respectu talis Ecclesiæ, id est ab omni beneficio, quod in tali Ecclesia habetur: propter eandem rationem cum proportionem applicatam.

¹⁵
Corollarium
Ad suspensio
à beneficio
comprehendit
dat pensio.
ver.

Sequitur deinde, quando locutio hæc formaliter aut æquiualeter est vniuersalis, omne genus beneficii Ecclesiastici sub se comprehendere, siue simplex sit, siue dignitas, vel Rectoria, &c. quia ab omnibus hic solet suspensio in iure fieri & omnia sunt appellatione beneficii proprie comprehenduntur: ergo si suspensio est vniuersalis, omnia comprehenditur. Quæres an etiam pensiones. Respondeo, supposita distinctione supra data de pensione ex titulo spirituali vel sine illo: de priori certum est comprehendendi, quia est beneficii, ut ibi dixi. De posteriori autem videtur idem sequi ex ibi dictis: quia non minus priuat hæc suspensio fructibus Ecclesiasticis, quam excommunicatio. Sed oppositum hic credo verius, tum quia poena non est extendenda ultra proprietatem vocis sine cogente fundamento: hæc autem pensio non est beneficii proprie, nec est ius, vel ratio, quæ cogat ad hanc extensionem. Excommunicatio enim priuat omni communicatione spirituali, & percipere quoslibet fructus Ecclesiasticos est aliqua communicatio spiritualis: hic autem non habet locum hæc ratio. Excommunicatio item est grauior censure, & magis odiosa, & ita de illa sunt communiores doctrinæ, & iura fauent: quæ omnia in presenti desunt.

¹⁶
Suspensio à
beneficio an
comprehendat
Episcopum
vniuers.

Sed quæres, an comprehendatur etiam Episcopatus, quia non solet venire nomine beneficii absolute dicti, c. Felix, de penis, in 6. Respondeo, si hoc fundamentum esset validum, etiam posse excludi dignitatem, & Rectorias, qui in cap. vltim. de Præcar. & cap. vlt. eod. in 6. ita accipitur. Quoad hoc ergo eadem est ratio de hac censura, quæ de excommunicatione, ut beneficii late sumatur, ut comprehendit ab Episcopali dignitate vsque ad infima beneficia: quia hic est usus iuris, & iudicium in hac parte ex omnium sententia. Solum est differentia quoad personas, quia si suspensio feratur in vniuersali contra hoc, vel illud facientes, non comprehendit Episcopos, & eorum superiores, ut habetur in cap. Quia periculosum, de Sent. excomm. in 6. Dicit aliquis, illud non esse extendendum ad suspensionem à beneficio: sic enim ibi dicitur. Quia periculosum est Episcopis, & eorum superioribus propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, &c. cum ergo Pontificalis officium non suspendatur per suspensionem à beneficio: videtur illa ratio non obitare, quo minus hæc suspensio generalis comprehendat etiam Episcopos. Respondeo in dicto c. Si *compromissarius*, expresse declarari ius illud capit. Quia periculosum, extendi ad suspensionem à beneficio, ut ibi Glossa notauit, & congruentes reddit rationes, quæ ibi videri possunt.

Suspensio à beneficio an extendatur ad omnia loca.

¹⁷ Tercio principaliter sequitur ex dictis hanc suspensionem latam absque speciali loci determinatione, etiam quoad illam circumstantiam vniuersaliter intelligendam esse, id est ab omni beneficio, vbicumque illud sit, vel possideatur. Probatur eadē ratione: quia locutio illa indifferens æquiualeat vniuersali. Idem patet ex dictis de suspensione ab officio. Hoc autem intelligendum est nisi aliunde

A ex materia vel causa, de qua agitur, confert sermonem esse in particulari de aliquibus beneficiis talis vel talis Ecclesiæ iuxta dict. cap. Si *compromissarius*. Unde hic etiam solet constitui discrimen inter suspensionem latam à Papa, vel à particulari Episcopo, quod illa sic lata omnia beneficia comprehendit, in quocumque territorio existant; quia eius iurisdiclio vniuersalis est. At vero de lata à particulari Episcopo, dicunt aliqui esse vniuersalem proportionaliter, id est, quoad beneficia, quæ clericus in illo Episcopo obtinet, non vero quoad alia, si extra illud territorium illa obtineat: quia nemo potest ius dicere, aut sententiam ferre, quæ aliquid extra territorium operetur. Sed loquendo de possibili, nulla est differentia. Nam & Papa potest suspendere à beneficiis quæ quis habet in vna Diocesi, vel in vno tantum Ecclesia, & per se iustum est, & in iure frequens, ut videtur est in Gloss. sæpe citata in Clemen. Cupientes, de Penis. Et è contrario Episcopus potest subditum suspendere ab omnibus beneficiis, quæ vbique, etiam in aliis Diocesium habet, si qualitas delicti id mereatur. Ita docuit Abbas in cap. Pastoratus, s. Verum, de Appell. numero 20. cum Antonino, abbas, l. 5. Verum, de Appell. numero 20. cum Antonino, quem refert, estque communis opinio. Ratio est, quia ille actus non excedit iurisdictionem Episcopi particularis: quia sententia seu poena non fertur de beneficio seu in beneficium, sed fertur in personam; & illa est, quæ priuatur iure quod habet, seu impeditur, ne illo utatur: ipsa autem persona est intra territorium huius Episcopi, eique subiecta, & in illo habet omne ius cuiuslibet beneficii etiam tale ius sit ad fructus percipiendos in alio territorio, vel Episcopatu. Nam beneficium est ius quoddam quasi inherens personæ quæ illud habet, ut notauit idem Abbas in cap. Postulasti, de Foro compet. num. 7. & de aliis iuribus incorporalibus, idem dicitur iurisperiti cum Glossa in l. 3. ff. pro socio: ergo Episcopus, qui fert sententiam suspensionis in personam sibi subiectam potest etiam in illa impedire omne ius, quod ipsi inhaeret. Ergo potest suspendere illam ab omni beneficio, etiam si Ecclesia, vel locus beneficii extra territorium sit.

Et confirmatur quia Episcopus potest clericum sibi subiectum deponere, & priuare omnibus beneficiis, etiam his, quæ in alia Diocesi habet, sicut notat ex cap. Postulasti, de Foro compet. vbi dicitur, Episcopum posse condemnare clericum sibi subiectum in priuatione beneficii existentis in alia Diocesi, licet executio facienda sit per Episcopum, in cuius Diocesi est illud beneficium: quia executio respicit locum, in quo est res, circa quam fit ita ergo in presenti suspensio fieri poterit vniuersalis à proprio Episcopo particulari, quamuis executio circa fructus percipiendos in alia Diocesi per Episcopum loci facienda sit. In quo erit aliqua differentia inter Papam, & Episcopum particularem; nunc vero de illa non agimus, sed solum de suspensione ipsa. Imo hæc differentia procedit quoad externam, & forensē executionem, & priuationem fructuum: nam quoad internam (ut sic dicam) & in foro conscientie, ipsa censura secum affert executionem, & priuat ipso iure fructibus, & dominio futurorum fructuum, vbicumque cadant.

Simileque est de suspensione ab officio; nam & Pontifex, & Episcopus possunt subditum suspendere ab officio, vel parte eius, & in vno, & in omni loco, intra, vel extra Diocesim, & ob rationem factam. Quamuis inter has suspensiones conetur in hoc assignare differentiam, Glossa in cap. Cupientes verbo In ipsa Ecclesia, de Elect. in 6. sed nulla fere est, nisi forte in hoc, quod suspensus à beneficio in vno loco, ab illo est suspensus vbique; nam fructus eius in vno tantum loco percipiuntur: & ideo si ibi illis priuatur, vbique illis carebit. Ab officio autem v.g. concionandi potest quis suspendi in vno loco, & non

Sect. I. De Suspensione à beneficio simpliciter lata. 447

& non in aliis: nam illa actio in diuersis locis exerceri potest, & priuatio in vno non necessario redundat in omnia, vt per se clarum est. Neque etiam est necessaria distinctio, quam aliqui fingunt inter suspensionem à iure: vel ab homine, si in eodem puncto de potestate sistamus: nam sicut Pontifex & communis iure, & per sententiam ab homine prædictam vniuersalem suspensionem ferre potest, ita etiam Episcopus particularis non solum per sententiam specialem, quod omnes admittunt, sed etiam per generalem, vel per statutum potest similem suspensionem ferre; quia non est illi prohibitum per Summum Pontificem, neque ex natura rei, aut ex diuino iure eius potestas limitata est ad ferendam suspensionem per sententiam particularem; & non alio modo, vt per se notum est, vnde enim inferri, aut probari potest talis limitatio? Et alioquin culpa per generalem sententiam, aut statutum prohibita potest esse digna illa poena: ergo potest per Episcopum illo modo ferri; quia etiam in eo modo ferendi non excedit iurisdictionem suam, vt ratio supra facta hic etiam probat.

Quantum autem hæc de potestate sint vera, nihilominus in vfu nonnulli sentiunt, sententiam ab Episcopo prolatam, si amplius non declaratur, interpretandam esse, vt suspendat solum à beneficiis in ius territorij sitis. Abbas in dicto cap. *Postulasti*, de Foro competent. & citat dictum cap. *Si compromissarius*. Quod de hoc casu non loquitur, vt constat; insinuat tamen argumentum à simili: nam sicut suspensio lata pro causa, seu crimine pertinet ad specialem Ecclesiam, licet absolute feratur, intelligitur solum ferri à beneficiis illius Ecclesie, ita sententia lata à particulari Episcopo, nisi aliud in ea explicetur, intelliguntur à beneficiis pertinentibus ad talem Episcopum, seu ad territorium eius: quia sicut prior causa ad particularem Episcopatum pertinere censetur. Quæ ratio æque procedit in suspensione lata ab Episcopo per sententiam, & per statutum; non vero habet locum in Summo Pontifice, quia eius iurisdicção vniuersalis est: & ideo ex ea parte non limitatur sententia, nisi aliunde ex verbis, vel ex causa limitationem accipiat. Atque hæc opinio fauorabilis est, eamque adiuvant illa principia generalia iuris, quod odia, & poenæ restringendæ sunt; quoad commodum fieri possit: hæc autem restrictio videtur satis commoda, & iuri consentanea. Tamē quia ex iure non satis probatur, vt mihi quidem videtur, ideo consulendam esse consuetudinem, quæ est optima legum, & verborum interpretis: Si ergo ita vfu receptum est inter Ecclesiasticos iudices particulares, ita erit interpretanda: & si res est dubia, existimo sententiam Panormitanam esse satis probabilem, quam vnusquisque potest in praxi sequi: & ideo, vt supra monui, debent Episcopi, dum huiusmodi censuras ferunt, satis voluntatem suam explicare.

Suspensio à beneficio quanto tempore duret.

Quarto principaliter sequitur ex dictis, quando hæc censura ex parte circumstantiæ temporis simpliciter fertur, & absque vlla determinatione, semper, & continue durare, ac priuare hominem fructibus beneficii, aut beneficiorum, quæ tempore quo lata est, obtinebat, donec per Superiorem tollatur. Hæc veritas eodem modo, quo alix similes supra posite, probanda est; nam ex eisdem principiis sequitur: quia verba inde finite prolata vim vniuersalem habent: ergo si absolute fertur suspensio absque determinatione temporis, sensus & voluntas inferentis est, vt semper duret, donec per habentem potestatem auferatur. Atque ita sensit Abbas in capite *Ex litteris*, de Constitut. numero 10. quem alij sequuntur.

Fr. Suarez tom. 5.

Vt autem hoc amplius explicetur, oportet aduertere, hanc suspensionem, sicut alias ferri posse & pro contumacia, vt ab ea recedatur, & pro delicto commisso. Quando fertur priori modo, durat, quādiu durat contumacia, si a Superiore non reuocetur: quod licet regulariter fieri non debeat, fieri tamen non repugnat, vt supra de censuris in communi diximus. At vero cessante contumacia, cessare debet talis suspensio, sicut dictum est de censuris in communi: nam quoad hoc est eadem ratio de omnibus; quia cessante causa adæquata, cessare debet effectus. An vero tunc suspensio ipso iure cesset, vel auferenda sit per absolutionem, dicemus inferius in propria disputatione. Quando vero fertur hæc suspensio propter commissum delictum, aut fertur ad certum tempus, aut simpliciter. Prior modus est frequens in iure, cap. 1. *Cupientes*, cap. *Si compromissarius*, de Elect. in 6. & alijs: & tunc suspensio priuat fructibus beneficii toto illo tempore continuo, ex quo lata est vsque ad terminum præfixum, vt & ex verbis ipsis, & ex iuribus euidenter probatur; & finito illo tempore per se finitur absque alia absolutione, vel reuocatione. Quia cum hæc non sit censura, non indiget absolutione: cumque à principio limitatum terminum acceperit, non indiget reuocatione: quia ipsamet termini designatio fuit virtualis quædam reuocatio pro vltiori tempore. Tandem hæc suspensio sæpe fertur pro commissio crimine, & absque certa temporis limitatione, vt in c. 2. de Translatione Episcopi, & in c. *Vel non est compos*, de Tempore ordin. & in alijs: & tunc est quodammodo perpetua, sicut in simili diximus de suspensione ab officio. Quia vero non est depositio simpliciter, nec priuat beneficii; ideo virtute, vel formaliter continet conditionem, vt duret, quamdiu alu dice, vel à Superiore ablata non fuerit.

Deinde est circa hoc aduertendum, suspensio nem à beneficio suspendere ab illo beneficio, quod quis habet, cum ipsa fertur: nam ipsa statim ac lata est, incipit operari, vt colligi potest ex cap. *Cupientes*, s. *Ceterum*, de Electione, in 6. & notauit Glossa in cap. *Prouida*, eodem titulo: nam sicut excommunicatio, ita & suspensio secum affert executionem, cap. *Pastoralis*, s. *Verum*, de Appellat. Duos autem censetur habere respectus: scilicet ad beneficii, & ad fructus, propter quos dicitur respicere præsens, & futurum. Præsens, quia suspendit à beneficio, quod homo tunc habet, quando suspenditur: nam qui beneficium non habet, non est proprie capax huius poenæ, licet alias fieri possit inhabilis ad beneficium futurum, quia priuat fructibus percipiendis, non perceptis, nisi anticipate percepti sint quasi mutuo antequam essent debiti: nam illi obnoxij sunt restitutioni; quia mutatio illa non impedit effectum censuræ, sed facta intelligitur sub conditione faciendi illos fructus suos: quod suspensio impediuit. Sicut e conuerso, quamuis tempore suspensionis Clericus nondum realiter percepisset fructus beneficii, quos vsque ad illum terminum suos fecerat, & pro eis sufficienter seruierat, non priuatur illis per suspensionem, quæ respicit tantum futurum tempus, non quoad realem possessionem solam, sed quoad dominium, seu ius proximum ad tales fructus impediendum: at vero circa illos fructus iam erat ius acquisitum, & per accidens est, quod in realem possessionem nondum venerint: & ideo circa illos nihil operatur suspensio. Sic ergo suspensio circa præterita non nocet, nec retro trahitur, vt dixit Nauarrus lib. 1. *Consiliorum*, consil. 29. num. 5. de tempore ordin.

Quæri vero potest, an hæc suspensio à beneficio cadat in beneficium futurum, impediendo acquisitionem. Respondetur, si suspensio non sit tantum ab vno, vel à determinato beneficio, neque in determinato loco: sed simpliciter à beneficio, id est, per totum ab omni

Quādiu duret suspensio ob contumaciam.

Quid de suspensione pro delicto commissio.

Per hanc suspensionem priuatur quis fructibus beneficii iam habiti.

An priuatur ne nouum beneficium acquirere possit.

ad omni beneficio, ubique, licet per se, & directe à percipiendis fructibus obtentorum beneficiorum impediatur; tamen consequenter ex vi illius prohibet noui beneficii impetrationem, seu collationem. Argumento eorum, quæ diximus de suspensione ab officio: nam qui ab aliquo opere, vel vñ simpliciter interdictus est, consequenter est prohibitus, ne possit ei conferri id, quod est principium talis actus, seu quod ad illum ordinatur, vt in prædicto cap. vltim. de clerico excommuni. ministr. dicitur: sed in presenti per hanc suspensionem quis est absolute interdictus, ne fructus Ecclesiasticos suos faciat: ergo consequenter est prohibitus, ne beneficium acquirat: hoc enim ad illum actum ordinatur, & est quasi principium eius. Et hæc est sententia communis cum Glossa vltima, quæ id colligit ex textu capit. *Per inquisitionem*, de Electione: nam ibi quidam, qui male eligendo alium in Episcopum, se reddiderat indignum Ecclesiasticis beneficiis, priuari mādatur alio beneficio ad quod ipse postea electus fuerat: illa autem indignitas, vt Glossa notat, præcipue erat, quod ratione illius malæ electionis suspensus fuerat à beneficiis, iuxta capit. *Cum in cunctis*, eodem tit. cap. *Capietes* vers. *Ceterum*, eodem tit. in 6. vbi id notat Glossa verbo *Beneficiis*. Idemque proportionaliter erit intelligendum, si aliquis sit suspensus ab omnibus beneficiis in aliqua Ecclesia, iuxta cap. *Si compromissarius*, de Elect. in 6. nam ille in eadem Ecclesia beneficium de nouo suscipere non potest propter eandem rationem; tamē in alio loco poterit, vt notauit Glossa vlt. in capit. *Pastoralis*, §. *Verum*, de Appellat. Et ratio est, quia nec directe id prohibitum est illi sic suspensio, nec indirecte, seu per consecutionem superius factam; cum illa suspensio non simpliciter, sed in loco tantum illum actum prohibeat. Idemque est ob eandem rationem, quando aliquis ab vno determinato beneficio suspensus est; quia illi etiam non est interdicta simpliciter acquisitio fructuum Ecclesiasticorum, sed tantum eorum, quæ ad titulum talis beneficii spectant.

26
Collatio suspensio à beneficio facta non irrita, sed irritanda.

Addo insuper, eum etiam, qui simpliciter ab omni beneficio suspensus est, non ita esse prohibitum, seu impeditum à nouo beneficio acquirēdo, vt collatio ei facta ipso iure nulla sit, sed solum vt à legitimo Iudice, vel Superiore sit irritanda: nam ratio facta ex cap. *Sic celebrat*, de Clerico excommunic. ministr. non plus probat. Quia, vt supra notauimus in illo textu, non dicitur electio irrita, sed irritanda: ergo ex illo non potest in presenti puncto amplius colligi: secluso autem fundamento illius iuris, nullum aliud est, ex quo pbari possit, prædictam collationem esse nullam. Neque in dicto ca. *Per inquisitionem*, de Elect. id significatur: solum enim præcipitur, vt qui sic in Præpositum electus fuerit, ab officio Præposituræ penitus amoveatur: quæ verba potius significant, illum quamuis male electum, reuera tamē fuisse Præpositum effectum, priuandum vero fuisse Præposituram, propter prædictum defectum.

27
Clericus nullum habens beneficium, si crimen committat, ob quod lata est suspensio beneficii, an impediatur, ne accipiat.

Sed obiicit aliquis: nam si hæc suspensio habeat hunc effectum; sequitur, Clericum nullum habentem beneficium, si committat crimen, pro quo ipso iure lata est absoluta suspensio à beneficio, quamuis non priuetur fructibus alicuius beneficii, quia nullum habet, tamen prædicto modo impediri vt non possit ei beneficium conferri. Consequens videtur esse contra illud axioma, quod nemo suspenditur ab eo, quod non habet; & contra Glossam in Extrauagante, *Iniuncta nobis*; verbo *Suspensio*, de Electione, communiter probatam: ergo. Sequela probatur, quia omnis censura, vel poena propter crimen imposita, licet non operetur in singulis hominibus, quantum potest, ob eorum incapacitatem, operatur in vnoquoque, quantum in se est capax: ergo si hæc suspensio habeat hunc effectum, efficiet illum in eo, qui beneficio caret, etiam si non faciat alios ef-

fectus propter incapacitatem subiecti. Duobus modis responderi potest: primo, negando sequelam, quia hic effectus non est quasi principalis, & directe intentus per hanc poenam, sed accessorius per consecutionem quandam; vt dixi: & ideo cessante principali effectu, cessat ille accessorius. Neque est mirum, quod solum propter carentiam beneficii quia non incidat in hanc partem poenæ, quam incurreret propter idem crimē, si beneficium haberet: hoc inquam mirum non est, quia hæc poena specialiter fertur contra beneficiarios Ecclesiæ, qui eius fructibus aluntur: & ideo speciali modo, ac titulo videtur illam offendere, cum talia crimina committunt.

Secundo, & verisimiliter respondetur concedendo sequelam: non enim video, cur illo modo non possit suspēdi à beneficio, qui beneficium nondum habet; quia suspensio non est talis priuatio, quæ necessario supponat id, quod aufert, sed quæ impedit etiam, ne habeatur, seu acquiratur id, quod alias acquiri posset. Vnde satis est, quod supponat potentiam proximam ad obtinendum beneficium, vt eius consecutionem prohibeat, ne fructus eius percipi possint, à quibus suspensio fit. Quod si suspensio potest hunc habere effectum cum vniuersaliter imponitur à beneficio non video cur non debeat ita operari in eo, qui beneficio caret. Nam quod dicitur, hanc suspensionem latam esse in beneficiarios, non video quo iure pbari possit: quia suspensio Clericorum poena esse dicitur, non præbendatorum. Vnde si lex specialiter id non declarat, sed simpliciter suspensionem ferat in eos, qui tale crimen commiserint, omnes Clericos comprehendit: ergo in vnoquoque operabitur id, quod potest: potest autem eum, qui beneficium non habet, impedire, ne illud suscipiat: ergo id operabitur in eo talis suspensio. Et declaratur, quia si talis Clericus obtineat beneficium post commissum tale delictum, sine dubio erit suspensus à fructibus eius; quia lex non operatur tantum in puncto, quod sit delictum, seu pro toto tempore, pro quo illud punit: nec est verisimile priuare fructibus toto illo tempore: quia principio habebat beneficium, & non priuari alium, saltem ex quo tempore illud habuit: ergo signum est illam legem poenalem operari etiam in eum, qui non habebat beneficium tempore delicti: & inde etiam constat, acquisitionem beneficii fuisse inquam, quia est ad actum per Sacros Canones tunc interdictum. Cum vero dicitur suspensio directe priuare fructibus, & consequenter impedire acquisitionem beneficii, respectu eiusdem beneficii verum est: tamen non est necesse, quod illa priuatio fructuum sit quoad efficaciam (vt sic dicam) sed quoad sufficientiam, id est, non est necesse, vt actu priuet; sed quantum est de se, si persona ius illorum habeat. Denique, licet non priuet, reddit personam inhabilem ad percipiendos fructus, dum censura durat. Ita ergo hæc poena locum habet etiam in eo qui nullum beneficium actu obtinet, dummodo Clericus sit. Quod tandem confirmatur à simili de suspensione ab officio: nam qui simpliciter ab officio suspensus est, licet actu non habeat officium, à cuius vñ suspendatur, prohibitus est, ne pro tunc Ecclesiasticum officium acquirat: & qui suspensus est ab ordine, licet nullum habeat ordinem, sed tantum sit clericus primæ consuetudinis, est impeditus, ne ordinem suscipere possit, quauis ab executione præexistentis ordinis non impediatur, quia nullum habet; quia prima consuetudo non est: idem ergo est in presenti in suspensione à beneficio.

Quibus fructibus priuet suspensio à beneficio.

EX dictis constat, suspensionem à beneficio, vel beneficiis, absolute omnibus fructibus eius, vel eorum respectu priuare: quia eo ipso, quod partem fructuum non determinat, est absoluta locutio æquiualeus vniuersali: vel negatio, quæ omnia destruit. Declarandum vero superest, quæ sint ea, quæ sub his fructibus comprehenduntur, & per suspensionem hanc tolluntur. In quo primo certum est, comprehendere omnes redditus temporales, qui ratione beneficii conferuntur, cuiuscunque conditionis sint, & quocunque nomine dentur, id est, siue sint pecuniæ, siue fructus terræ, siue animalia se mouentia. Rursus siue dentur per modum decimarum, primitiarum, aut oblationum: siue ut proventus, vel pensiones ex fundis, seu aliis bonis immobilibus ipsius beneficii. Etenim hæc omnia in redditibus beneficii computantur, & ratione officij, ad quod beneficium obligat: atque adeo ob titulum beneficii dantur, ergo omnes sunt fructus beneficii, vt omnes docent in titulo de Decimis, & de Parochiis: ergo illis omnibus priuat dicta suspensio. De quotidianis autem distributionibus, quæ propter diurnas Horas & officium dari solent, difficultas esse potest: quia hæc non comprehenduntur nomine fructuum, vt ex cap. vñico, de Clerico non residente. in 6. tradunt multi Canonistæ, quos refert, & sequitur Couarruias, libro 3. Variarum cap. 13. numero 5. Quidquid tamen sit de illa locutione, quoad alios effectus, seu in aliis rebus, in præsentia non dubito quin distributiones etiam quodidianæ sub hoc effectu suspensionis comprehendantur, vt sentit Glossa in Clementina 2. de Vita, & honest. Cleric. verbo *Suspensus*, quam alij sequuntur. Et ratio est, quia etiam hæ distributiones dantur ratione beneficii: quanquam enim immediate dentur propter assistentiam, vel ministerium ad aliquod diuinum officium; tamen hoc non est præter rationem beneficii, quod ex institutione sua propter officium datur, & præterea illud officium non esset sufficiens ratio ad lucrandas distributiones, nisi ex titulo beneficii fierent: sunt ergo illæ distributiones, veluti pars quædam beneficii: cum ergo suspensio fiat à toto beneficio, ab his etiam distributionibus obtinendis impeditur.

Maiores dubitandi ratio esse potest de aliis stipendiis, seu distributionibus, quæ non pertinent per se ad fructus beneficii, nec dantur propter ordinarium ministerium eius; sed propter alia opera personæ illi annexa ex pia voluntate, vel dispositione fidelium, vt sunt annuaria stipendia Missarum, & similia: nam hæc, cum non proueniant ex titulo, operibus propriis ipsius beneficii; sed ratione operæ personalis lucri fiant, non videntur tolli ex vi huiusmodi suspensionis. Sed hoc ad summum procedit, quando hæ distributiones, seu stipendia non sunt villo modo annexa ipsi beneficio, sed extraordinarie offeruntur à fidelibus tanquam elemosynæ ratione Missæ, vel alterius diuini officij: tunc enim quantum contingat dari Parocho, v.g. eo quod tale beneficium habeat: nam consuetudo esse solet, vt illi potius, quam alij offerantur: nihilominus ibi beneficium concurrat veluti occasio quædam; proprie tamen illi non possunt computari in fructibus, qui per se pertinet ad beneficium: & ideo de his verum existimo non comprehendere sub absoluta suspensione à beneficio. At vero quando hæc sunt moraliter per se coniuncta beneficio, consuetudine & superiorum auctoritate, vnde etiam originem duxerint, existimo iam computari tanquam fructus beneficii, & ex illius titulo promanare: ideoque sub prædicta suspensione comprehendere. Nam licet in rigore distributiones quodidianæ non sint, eis tamen

Fr. Suarez. tom. 5.

Amen æquiparantur, præsertim in pœnalibus, vt ex quadam Glossa notauit Nauarrus libro 4. Confilior. tit. de Clerico non resident. confil. 13.

Quibus actionibus beneficii priuet suspensio ab illo.

Vterius vero dubitari potest, an præter huiusmodi res sint etiam aliquæ actiones, quibus sic suspensus à beneficio priuetur, quia illæ aliquo modo ad fructus beneficii pertinent. In quo dicendum est, aliquas esse huiusmodi actiones. In primis sunt omnes illæ, quæ ad fructus percipiendos, seu augendos, vel alio modo pertractandos ordinantur; vt est locare beneficium, aut bona eius, vendere fructus & in vniuersum tota temporalis beneficii administratio: illa enim prohibita est ei, qui à beneficio suspensus est, vt colligitur ex cap. 1. §. vltimo, de Electione, in 6. verbis illis: *Ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit*: illa verba non solum significare videntur priuationem fructuum, sed etiam prohibitionem se ingerendi ad negotia tractanda, quæ ad illos pertinent, potestque hic applicari regula cap. Si celebrat, de Clerico excommunic. ministr. Cui aliquid vetitum est, etiam illa esse prohibita, quæ ad illud ordinantur: cum ergo suspensus sit prohibitus à fructuum perceptione, consequenter est separatus ab administratione temporali beneficii, quæ ad fructuum perceptionem ordinatur. Atque ita sentiunt Doctores cum Innocentio, & Abbate in cap. Ex tua, de Clerico non resident. & in cap. Veritatis, de Dolo, & contumacia, & in cap. Pastoralis, de Verum, de Appellat. & in cap. Cum bona, de Aetat. & qualitat. & in c. Apostolica, de Excep. vbi Glossa penult. & Felinus in cap. Intelleximus, de Iudiciis, numero 10. Quod adeo verum esse sentiunt, vt talem administrationem à suspensio vsurpata inuvalidam esse, seu contractus inuvalidos efficere dicant in illis, quæ præiudicium aliquod Ecclesiæ asserere, & bona eius, aut iura immutare, vel minuire possint, vt alienationem alicuius rei Ecclesiæ, vel aliquid huiusmodi. Vnde fit, vt qui tali Ecclesiæ debitor est, si huiusmodi beneficiario suspensio illud soluat, non satisfaciatur, sed possit, ab illo repeti, quia ei soluit, qui iam tunc non habebat potestatem recipiendi, seu res talis Ecclesiæ administrandi, & sic de aliis. Oportebit tamen, vt talis suspensio manifesta sit; & hodie ob Extratragantem, ad cuiusmodi, vt fit suspensio nominatim denunciatus sit; nam alioqui nemo tenetur illum vitare: & ideo quilibet poterit Ecclesiastica negotia cum illo transigere; neque propterea culpari poterit: ergo à fortiori valida erunt, quæ ita fiant, licet ex parte suspensi non sine peccato per se fiant. Atque idem dicendum censet de permutacione beneficii: nam hæc actio maxime procedit ex dominio in ipsum beneficium, & est vnus ex precipuis vsibus eius; & non immerito dici potest fructus beneficii: & ideo qui est simpliciter à beneficio suspensus, ab hoc etiam actu suspensus est: vnde idem consequenter dicendum est de donatione beneficii, & omnibus actibus similibus.

Sed occurrit obiectio: nam sequitur, Episcopum à suo beneficio suspensum non posse beneficia conferre consequens est falsum; quia conferre beneficia est actus officij, & iurisdictionis iuxta Glossam in cap. Transmissam, de electione, in 6. per suspensionem autem à beneficio non suspenditur quis ab officio, & actibus eius, vt dictum est: ergo. Sequela probatur, quia conferre beneficia inter fructus Episcopatus, vt dixit Glossa vltima in cap. Cum olim, de maior. & obedient. Aliqui respondent, conferre beneficium non esse fructum pretio æstimabilem: suspensionem autem solum priuare rebus pretio æstimabilibus. Sed contra, quia etiam permutare be-

32

32

An suspensio à beneficio Episcopatus possit beneficia conferre.

Quo iudicio respondit.

Improbatur.

Nauarr.

beneficium non est aliquid pecunia æstimabile secundum ius Ecclesiasticum, licet natura sua dici possit æstimabile, ut in simili notauit Nauarrus in commentario de usuris, ad cap. Si seueraueris, l. 4. quæstione tertia, notabil. 9. nume. 17. quomodo etiam conferre beneficium dici potest natura sua æstimabile pretio, quamuis iure non fit: ergo quoad hoc æqualis est ratio inter illos actus. Præterea gratis videtur adiecta illa limitatio de fructibus pretio æstimabilibus, cum suspensio à beneficio simpliciter fiat.

33
Veræ responsio.

Dico ergo, improprie dictum esse conferre beneficium pertinere ad fructus Episcopatus: nam reuera non ita est, sed pertinet ad officium Episcopatus, est enim quidam actus illius muneris: sicut conferre Sacramenta est actus beneficij parochialis. Tamen quia ille actus censetur aliquo modo utilis Episcopo, & redundans in commodum eius; id eo secundum quandam vulgarem loquendi rationem dicitur collatio beneficij pertinere ad fructus Episcopatus. Vnde est magna differentia inter actum conferendi beneficium ex Viuris, & officij prouenientis à superiori beneficio, & inter actum permutandi, vel donandi proprium beneficium: nam ille prior non est actus dominij, sed muneris: & ideo non est actus beneficij, ut beneficium est, sed ut officium: posterior vero non est actus muneris sed dominij; vnde est actus beneficij, ut beneficium est, sed ut est quædam res propria; non vero est actus præbende; ut officium in se includit, quod per se notum est: & ideo non est similis ratio de his actibus.

34
An suspensio à beneficio priuatur actum eligendi, qui ratio ne beneficii sit competens.

Atque hinc expeditur aliud dubium, quod hic solet excitari de actu eligendi, si conueniat ratione beneficij, an quis illo priuatur, eo quod à tali beneficio suspensus sit. Videri enim potest ita esse asserendum: nam si collatio beneficij fructus Episcopatus dicitur, cur non etiam electio dicitur fructus illius beneficij? ergo concludetur sub prohibitione fructuum. Atque in hanc partem citatur Glossa per textum ibi in cap. Cum dilectus, de Conseruand. & in cap. Cum bona, de Aetat. & qualitat. sed illa iura non loquuntur in speciali de suspensione à beneficio, sed absolute de suspensis; vnde facile possint exponi de suspensis omnino, vel ab officio, vel à iure eligendi. Dicendum ergo est, suspensum à beneficio posse nihilominus eligere; quia electio non est fructus beneficij, neque actus eius, ut beneficium est, sed est actus officij spiritualis, cui annexum est beneficium: ac propterea sicut per talem suspensionem non suspenditur officium quoad alios actus, ita nec quoad electionem. Quod non male confirmatur ex cap. Cum in curia, §. vltim. de election. ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. part. 1. cap. 3. ubi clerici, qui contra formam ibi præscriptam aliquem eligunt, & à beneficiis suspenduntur, & pro tunc eligendi potestate priuantur: ergo signum est priuationem eligendi non includi in suspensione à beneficio. Quo argumento vtuntur ad hanc sententiam confirmandam, Glossa in cap. Cupientes, §. Ceterum. de electione. in 6. Abbas in cap. Cum Vintoniensis, de electione, n. 10. & in c. Cum dilectus, de consuetudine, num. 20.

Glossa. Abbas.

35
Obiectio ex ca. Quisquis de elect.

Sed obicit potest caput. Quisquis, de electione, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. capite 25. ubi qui electionem quandam ipso iure irritam præsumpserint celebrare, Ab officio, & beneficiis penitus per triennium suspenduntur, eligendi tunc potestate priuati. Ex quibus verbis si argumentum factum est efficax, etiam posset inferri in suspensione ab officiis non includi suspensionem potestatis eligendi: quod plane falsum est. Illum vero textum, omittit Glossa ibi, quæ ad rem non loquitur, ego sic intelligendum puto, suspensionem ab officio & beneficio ibi non ipso facto imponi, sed per iudicem imponen-

Solutio.

dam decerni, ut patet ex illo verbo, suspendantur: ab eligendo autem saltem pro illa vice ipso facto suspenduntur: non enim dixit: Eligendi potestate priuatur, sed priuati, scilicet ipso facto: & ideo necessarium fuit hanc penam distincte explicare. Quod tamen in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. non ita est, vtrique suspensio tanquam distincta ipso facto imponitur, ut patet: nam eodem verbo, & tenore dicitur: Nouerint se priuatos potestatem eligendi, & per triennium à beneficiis suspensos. Igitur in fructibus beneficiorum quibus suspensio hæc priuat, non comprehenduntur actiones propriæ ipsius officij, etiam illæ honores potius existimentur, quam onera, & quamuis temporale aliquod commodum secundum hominum existimationem secum asferre videantur. Duo vero alia dubia, quæ de fructibus hic attingi possunt, in sectione sequente expediuntur.

SECTIO II.

Quid sit, & quem effectum habeat suspensio quæ à beneficio solum ex parte fit.



Vpono duobus modis posse suspensionem esse partialem: Primo comparatione facta ad multitudinem beneficiorum. Secundo per comparationem ad fructus eiusdem beneficij. Priori modo contingit, quando eadem persona habens plura beneficia, ab vno, vel à quibusdam suspenditur, & non ab aliis, vel quia suspenditur à beneficiis, quæ habet in vno loco vel Ecclesia, & non ab his, quæ alibi habet iuxta cap. Cupientes, & cap. Si compromissarius, de electione, in 6. vel quia, licet plura beneficia habeat in vna Ecclesia, ab vno, & non ab aliis suspenditur. Et quocunque istorum modorum fiat, habet rationem censuræ simpliciter, & potest dici suspensio maior, non comparatiua, sed absoluta locutione, ut supra declaratum est. Respectu vero beneficij dicitur suspensio partialis, quæ à parte fructuum, & non ab omnibus priuat: ita enim interdum fieri annotauit Glossa in Clementina 2. de vita, & honestate cleric. & ex Clementina 2. de aetat. & qualitat.

Et de hoc genere suspensionis aliqui negant esse proprie censuram; imo nec suspensionem simpliciter, sed tantum secundum quid; eo quod sub nulla ratione sit suspensio in totum, sed tantum in parte reliquæ enim suspensiones partiales quamuis respectu personarum tales sint, tamen respectu Ecclesiæ, seu loci dici possunt totales: vel licet respectu loci sit suspensio partialis, respectu beneficij est totalis: at vero hæc, quam nunc consideremus, mere partialis est: & ideo non videtur esse simpliciter suspensio, sed tantum secundum quid. Verum hoc spectat ad modum loquendi: nam moraliter rem considerando, hæc suspensio potest esse maioris momenti, quam alia, quæ sit totalis: vnde non est dubium, quin sit pena, & interdum valde grauis, & si pro contumacia feratur, non video quid illi desit, ut sit propriissima censura. Non est enim de ratione censuræ, ut sit priuatio totalis, nisi respectu sui obiecti, ut sic dicam: quomodo excommunicatio minor est talis priuatio respectu vsus passiuæ sacramentorum; quæ non sit respectu totius vsus, seu communicationis: sic ergo illa suspensio omnino priuat tali parte, verbi gratia, dimidia, aut tertia, vel alia simili, vel priuat distributionibus, aut primitiis, vel redditibus talis possessionis, vel quid simile. Hæc ergo suspensio vera etiam censura esse potest, & dici simpliciter suspensio, quanquam si pars illa, qua priuat, minima

minima sit, non male dicatur suspensio minor, vt in A
superioribus diximus.

Effectus partialis suspensionis à beneficio exponitur.

A tque hinc facile constat resolutio alterius par-
tis de effectu huius suspensionis: cum enim mul-
tiplex sit hæc partialis suspensio, vnaqueque illum
habet effectum, quem verba ipsa determinantia
suspensionem declarant, & non alium. Quia talia
verba de se sunt efficacia; & id operantur, quod si-
gnificant, & non amplius: quia effectus non potest
excedere virtutem causæ: & quia limitatio illa, quæ
per determinationem fit, est exclusio aliorum effe-
ctuum, vt in superioribus est dictum: eadem namq[ue]
proportione hæc intelligenda sunt, quia cætera de-
clarauimus. Vnde, quando suspensio est partialis re-
spectu personæ, vel loci, cum sit totalis respectu be-
neficii, aut beneficiorum priuat illorum fructibus
cum proportione ad totalem, nam respectus eo-
dem modo ponderanda sunt verba. Quando vero
suspensio omnino est partialis, id est à parte benefi-
cij, tunc designatio partis est exclusio aliarum, ta-
men respectu talis partis poterit considerari illa sus-
pensio per modum integræ priuationis, & ita re-
spectu illius eandem proportionem seruat.

Quia vero in superioribus diximus suspensio-
nem ab omnibus beneficiis simpliciter latam, atque
adeo totalem prohibere nouam beneficii consecu-
tionem, aduertendum est, quod, licet aliquis suspē-
datur ab omnibus beneficiis, si tamen id fiat cum
additione huius particule, *Quæ obinet*, vt in Cle-
mentina 2. de vita & honestate clericor. illam non
esse suspensionem totalem, sed partialem, cum sus-
pensio simpliciter non tantum præsentia, sed etiam
futura respiciat: illa vero suspensio per illam parti-
culam, *Quæ obinet*, ad præsentia determinetur. Vn-
de ex adiectione illius particule, quæ in illo textu sit,
optime colligitur, quando illa non additur, sed sus-
pensio à beneficiis simpliciter fertur, vniuersalio-
rem esse suspensionem. Quo fit, vt per illam suspen-
sionem, sic limitatam non prohibeatur quis à susce-
ptione noui beneficii, quando quidem non est sim-
pliciter suspensus à fructibus ecclesiasticis, sed à ta-
libus: ergo respectu aliorum nihil prohibet. Fit et-
iam inde, vt, qui beneficiū Ecclesiasticum nō habet,
illam suspensionem non incurrat, quia solum suspen-
dit à beneficiis, quæ aliquis habet. Et vtrumque infi-
nuatur in illa Clementina secunda, dum statim ad-
ditur alia pœna pro illo, qui beneficium Ecclesiasti-
cum non habet, scilicet, quod per sex menses inha-
bilis ad illud obtinendum reddatur: quæ pœna ge-
nus quoddam suspensionis esse censetur: proprius
vero dicitur inhabilitas quædam, vt ex supra dictis
constat: ex quibus etiam clara sunt omnia, quæ de
his effectibus desiderari possunt.

*An suspensus à beneficio alendus sit ex fructi-
bus eius.*

D Vo vero declaranda supersunt, quæ vtrique sus-
pensioni à beneficio totali, & partiali commu-
nia sunt, seruata proportione. Primum est, quid a-
gendum sit, si clericus indigeat ad suam sustentationem
illis fructibus beneficii, vel eorum parte, quibus per
suspensionem priuatur, an cogendus sit mendicare,
vel illi subueniendum sit. Simile dubiū
tractauimus supra de excommunicatione maiori: vnde
solum addendum est, quando suspensio fertur pro
contumacia (in quo cum excommunicatione con-
uenit) eandem esse de vtraq[ue] rationem. Quia quan-
tumcunque sic suspensus indigeat, illi subuenien-
dum non est de fructibus beneficii: sua enim volun-

tate, & culpa quasi continue durante, eam patitur
necessitatem, qua facile liberari poterit recedendo
à contumacia: lic enim absolueretur, & fructibus be-
neficii frui incipiet. Nec est inconueniens, quod talis
clericus cogatur mendicare, non enim cogitur
simpliciter, sed ex suppositione suæ prauæ voluntatis;
minusque inconueniens illud est, quam quod ex
sua iniquitate commodum reportet in vilipendi-
um Ecclesiasticæ obedientiæ, & disciplinæ. At ve-
ro, quando suspensio fertur in puram pœnam com-
missi delicti, tunc propter decentiam ordinis clericalis,
& quia iam non est in potestate illius personæ
facere, quo illa pœna tollatur, nam quantumcunque
resipiscat, & Ecclesiæ obediat, sustinebit illam, ideo
ex illis fructibus ei commode subueniendum est.
Non tamen arbitrio, vel autoritate propria, sed
superioris, nisi suspensio sit tantum ipso iure con-
tracta, & sic occulta, vel alia rationabilis causa oc-
currat, tunc enim arbitrio prudenti poterit ex suo
beneficio ali sufficienter, iuxta superius dicta in si-
mili effectu excommunicationis maioris. Et hæc re-
solutio communis est Panormitani, & aliorum in
cap. *Pastor alius*, §. *Verum*, de appellat. & alios retuli ci-
tato loco.

Aliud dubium est, an qui ob suspensionem hanc
fructibus beneficii priuatus est, illos aliquando re-
cuperare possit: quod etiam in dicto loco tractauimus,
& eodem modo expediendum est. Si ergo sen-
tentia & valida, & iusta fuerit, fructus per illam ab-
lati recuperari non possunt per se, ac seclusa dispensa-
tione, quia priuatio de se est perpetua; nullumque
ius ad talia bona relinquit. Quod etiam de suspen-
sione, quæ imponitur, vt recedatur à contumacia,
verum est, nam fructus amissi tempore contumacia,
non recuperantur postea propter subsequen-
tem poenitentiam, & absolutionem. Quia illa pri-
uatio fuit condigna pœna contumaciæ, & illud
comparatur tanquam iusta, & pura pœna, quæ pri-
uat simpliciter iure perpetuo ad huiusmodi fru-
ctus. Alioqui si cum absolutione fructus restitue-
rentur, parum cogeret & puniret talis censura.

At vero si contingat in aliquem ferri sententiam
suspensionis ipso iure nullam, vel sententiam de-
claratoriam criminis habentis annexam hanc cen-
suram ipso facto incurrendam, fundatam in falsis
testimoniis, & contra facti veritatem, & ob eam
priuari aliquem fructibus beneficii sui, ius semper
retinet ad recuperandos illos fructus, vel pœnam
eundem iudicem, aut superiorem, si tempore, & modo
competenti de nullitate sententiæ, vel clara iniusti-
tia constiterit, aut certe, si propter iniustam vim,
aut defectum probationis ea via non potuerit: oc-
culte poterit ea retinere, vel obseruare, si occasio se
obtrulerit id faciendi absque scandalo, vel alterius
iniuria. Hoc enim, per se loquendo, in omni mate-
ria iustitiæ licitum est: quanquam in presenti diffi-
cilius possit in praxi fieri, eo quod huiusmodi fru-
ctus, si semel auferantur in pauperes, & alios pios v-
sus expenduntur. Nihilominus quod diximus, de
iure verum est: modus autem, vel occasio executio-
nis ad factum pertinet, quod prudentiæ, & consci-
entiæ eius, qui iniustam læsionem passus est, relin-
quitur. Idemque dicendum cenfeo quoties per ta-
lem suspensionem iniustitiam, contra commutatio-
nem quis passus est, quia ius habet recuperandi fru-
ctus: quia iniustitia non infert damnum auferendo
ius recuperandi illud, si fieri possit. De quo vi-
deantur supra dicta de excommunica-
tione, nam est eadem
ratio